

D. 1. 2 AA

1) - 14) Casalini, fo  
mehr 15) - 17)

Karten feichen und dgl.

172) - 15) - 17)

Wappen bis 9, 2, 3, 6)

D. 1. 2 AA (1 - 18)

15) - 17)

# REPLICATIO.

*Theophili Philalethes Cosmici.*

ADVERSVM SYCOPHANTICAM IOHANNIS CASELII ΔΙΑΜΑΡΤΥΡΙΑΝ,  
nuper Helmstadij in Academia IULIA edi-  
tam & publicè affixam.



A N N O

---

I 600.

Theophilus Philalethes Cosmicus

## AD LECTOREM.



Væ ultra biennium inter Rev. & Clariss. virum Dn. D. Danielem Hoffmannum venerandam canicie senem, & aliquot Academiae Julianæ Philosophos, inter quos primum si bi locum vendicat Caselius agitata sit huc usq; miserabilis controversia nemini facile obscurum est, cum ea non tantum nota sit vicinis locis & Academijs, verum etiam longè dissitas hinc regiones ad volaverit. Idq; jam multo magis fieri credibile est, cum orthodoxorū Theologorum vitā functorum, qui optimi possunt esse judices, scripta & testimonia controversiam hanc concernentia prodierint in publicum, nuper denuo ad pralatum investigata, ut hoc modo ad multorum manus commodius pervenire queat. Nuperrimè v. post alia apparuerunt etiam hac de re agitate questio[n]es, cum Philosophi hujus gregis Concordia, ut vocat, Theologiae & philosophiae, de quibus duobus scriptis Caselius in hac sua dia[m]ag[is]ia nonnihil attingit, ita tamen ut nemo facile, quid velit, aut quibus de rebus sermo sit, intelligat, nisi quāq; haec scripta viderit & rem universam probè exploratam habuerit. Quare ut accuratius illud cuivis innotescat, perpendemus pro tempore nonnulla in hae Caselij dia[m]ag[is]ia, & ejus mendacia, quibus incautis lectorem decipere conatur, detegemus.

In toto verò scripto adversam partem mendacij, arguere omnibus nervis conatur, sed an illud salvâ veritate fiat, & an spicula retorta in autoris caput recidere queant, videndum est.

Nam initio ferè dicit, Dn. D. Hofmannum contra iussum Principale & magnam silentij vim in utramq; partem, plures emissios libellos sparsisse primum. Quod sanè magnum esse mendacium existimo: Quandoquidem Philosophos primos mandati principalis violatores exstisset, vel ex eo luculenter appareat, quod ipsi in omnib. ferè lectionibus publicis, non tantum hujus litis mentionem fecerint, suam sententiā propugnaverint, & sub Orci galea Hofmannum impiè & siurris liter traduxerint, sed etiam Disputationibus publicis, quovidere in promptu est, & ante oculos, corollaria de eadem controversia apposuerint.

suerint, & publicè disputaverint. Vel solus et jam Cornelius tractatum Logicis suis prolectionibus promisit, de philosophia non contradicenti Theologiae, ubi publicè contra Lutheri & Hofmanni doctrinam, quotiescumq; ad lectionem accessit, multa dixit, & Hofmannum omnibus studiosis invisum & suspectum reddere conatus est, Caselius ipse et jam in longo isto publico affixo programmate dicebat, confecisse se Orationem pro existimatione sua, eamq; ad plerasq; Germaniae Academias misisse: nimirum orta hac lite, autoritatem suam, si que antea fuerat, diminui, astute ratiocinabatur. Et tamen miratur nunc controversia famam Alpes transiisse. Hoc igitur non est silentium rumperet? Quis ergo adeò est rusticus, cui detecto fuso mentienti studium non liqueat? Atq; hoc primum mendacium, quæ alijs adstringere conatur in autorem retortum esse putamus: idq; licere omnijure, ut injuranti impunè dicamus; Tu mentiris: par namq; pari referendum est, licet mordeat.

Vlterius in hac charta ait se nullam unquam attigisse questionem Theologicam, id sane itidem crassum est mendacium. Succenturiatus enim suis & suorum non modo ab initio motæ litis extitit, verum una cum reliquis subscriptione manus sue approbavit omnia contra Hoffmannum scripta, in quibus permulta agitantur questiones Theologicae. At quid multis: Ipse Caselius in oratione quadam, quam ex aula aliquando qdversus composit, multa de veritate garrit, quam unam duntaxat & simplicem agnoscit, non duplcam. At quorsum hec? nimirum cum collegis defendit contra Lutherum Sorbone illud: Idem esse verum in Theologia & Philosophia; qui error & blasphemia merito à nostris Ecclesijs proscripta, rejecta & damnata est. Hanc ergo renovare, & in theatrum denuò producere extrema est impietas. Hinc igitur blasphemè extruunt Philosophi horrendum dogma de mutua amicitia Philosophie & Theologiae: de Identitate hoc enim sequitur enunciationum Christiani pectoris in Ecclesia per Spiritum S. accensarum & earū quæ ab impijs & à Deo rejectis Ethnicis fiunt extra Ecclesiam, sine revelato Dei verbo: Dicunt unam & eandem esse veritatem intellectus apud Ethnicos, Diabolos & Christianos,

& hanc Enunciationem: Jesum esse filium DEI, veram etiam esse in intellectu Diabolorum, & quidem adeo veram, ut neq; Spiritus S. veriorem eam reddere queat. Pro hac opinione etiam publicè illi disputatione, & licet Caselius (non enim potest) se disputasse neget, calamo tamen idem fecit, & acuta Cornelij inventa, quibus suam ille thesin contra Lutherum tutari conatus est, Orationis flore convestita ad Magnates & proceres, misit, ut in eorum gratiam blando sermonis sui artificio irrepereret, & Diabolica sua portenta incautis insinuaret. Provocatur hic ad omnia Cornelij scripta, quæ magno numero suorum confratrum nomine, contra Hofmannum passim disseminavit, & in aulam etiam misit. In insigni isto, cuius supra memini, programs mate, Caselius cum multa, ut in hac etiam diaquastupio, pro se dixisset, addebat, his si non contenti essent adolescentes propediem visuros eos firmiora argumenta. Innuebat autem tantopere à multis de predictatum Cornelianum istum fatum, quem contra Olearium enixus est, quo sane si nullam questionem quæ ad Theologiam spectet, continui dixerit impudens sit oportet. Propugnasti res esse in Deo duorum generum, hominem naturalem in sacra scriptura non totum vocari carnem, neq; omnia ejus opera esse carnalia &c. plura lubens omisso. Atq; haec omnia tibi Caseli non sunt Theologica? Et quam impudenter mentiatur & ficta innocentiae, probitatis & humanitatis suæ imagine omnibus suum facere annitatur tantus Doctor Philosophus, tamq; preclarè de re literaria meritus ut admodum Thrasonice in omnibus scè suis chartis & epistolis, quarum quotannis multas in publicum tradit, de se filant & iste gloriatur. Verum non satis quis mirari vel detestari queat viri hujus vel stuporem, vel quod verisimilius, extremum mentiendi & fallendi alios studium. Paulò enim ante cum dixisset nullas se unquam mouisse questiones Theologicas, subiicit se tuatos fuisse contra Hofmannum, Philosophiam non esse recensendam inter opera earnis ad Galat. 5. enumerata. Et hec questio, ipso auctore, non est Theologica. Aut si Theologica, Caselius moveret etiam num Theologica, quod ex Caselio contra Caselium denuo probatum esto. Sed scire hic averem, cur non integrum Pauli locum Caselius probe-

probè pensitarit, quia eodem capite omnia opera Spiritus & carnis op-  
ponuntur, sit quoque mentio inimicitarum inibi. Cur item non consi-  
derat vocem φανερὰ. Hec enim manifesta si sunt, alia non excludun-  
tur, seu ibi non omnia recitantur: arguunt hoc verba: Καὶ τὰ ὄμοια  
τὸ τοιό. Ibidem enim distinguit liquido satis Apostolus inter opera  
carnis manifesta & non manifesta, & de utrisque in genere: Caro  
concupiscit adversus Spiritum & contra. Quis verò jam philoso-  
phiam etiam in homine regenerato, adversum Spiritum concupiscere  
negaverit, siquidem nunquam in hac vita perfectè captivari queat.  
Philosophia igitur ex operibus carnis non est eximenda. Hac Caselium  
considerare jubemus, si forte per stuporem, aut potius malitiam hæc  
perverso judicio, & in sensum reprobum datus intelligere non vult,  
furenter respsuit, & velut catharma reijsit & execratur. Mentitur  
autem quando dicit, Hoffmannum philosophiam nominatim inter hæ-  
reses retulisse, quæ sint inter opera carnis; nunquam enim ex hujus  
scriptis id probare poterit.

Sed interim studiosi etiam istius Axiomatis meminerint, quod  
superius posuit. Inquit Caselius: Nisi enim mentirentur, non esset  
unde maledicerent. Semper igitur omnis qui maledixit, quoque  
etiam modo ille mentitur. Ratio est: Non enim posset maledicere ni-  
si mentir. Dico semper, quoque etiam modo, quia maledice-  
re hic in lata significatione sumitur. Intelligas ergo necesse est, de o-  
mnibus asperioribus verbis, quæ contra adversarium prosciuntur, et  
iam si id tui defendendi causâ fiat, id quod satis, si de qua agitur  
controversiam hanc, & inde orta, ut vocant, maledicentia spicula  
perpendas, hoc Caseliij scriptum evincit. Ergo quid sequitur? vi-  
delicet quod rem absolvit: Qui maledicit ille mentitur. Ratio est,  
uti dictum, alias materia maledicendi nulla esset. Videte hic cives  
Logici saltantem Camelum. Adspicite vos teneri surculi, nec sine  
sensu nec sine ratione tamen Doctorem vestrum, de vobis & re litera-  
ria tam bene meritum, Animadvertisse quando Rheticando Rhe-  
torculus hic philosophetur:

Quomodo verò contradicentem sibi vatem suum Terentium salvabis que quidem maledixit, sed mentitum se esse nequaquam concedit, inquiens: Benedictis (adversarius) si certasset, audisset bene, quod ab ipso allatum est, id sibi relatam putet. Audis his Terentium par pari referentem maledicere adversario, mentiri cum non concedes: alias valde vapularet tuus Terentius. Quod si familiares tui audirent, ministrasti obsequentes forent in volvendis istis scriptis, quos maximè à te celebrari cotidie cernunt, sed virtuti & veritati studendum esse rati, te cum tuis ineptijs relinquenter.

Nunc, si lubet, oculos ad sequentia Caseliane & magistrupias convertemus. Loquitur autem de Jambis primò Pasquilliticis, quād cum nullius famam aut existimationem ledant, in quin finem nec scripti sunt, sed tantum historicè acta enarrent, eos famosos et jam non posse appellari quis ambiget? Si modo quid Pasquillus aut carmen famosum sit, habeat quis exploratum: Deinde quid adiicit, de superveniente pictura, eaq; congruā cum carmine ridiculum est, quia illud nullo noscendi studio, à discipulo scholæ Trivialis, ut illi solent ludere, calamo saltē & atramento leviter delineatum fuit.

Praterea quando dicit: In unum ultra visurgim editum libellum conjectere quasdam Clarissimi collegæ meditationes &c. multa iterum mendacia admiscet. Longè aliter ejus rei veritas se habet. Nam M. Oenus Guntherus composuit orationem de hac controversia & præcipuis in eadem motis questionibus, in qua Ethnicum & planè impium suum programma, Anno 1598. II. Martij hic publicè affixum, satis superq; explicavit. Orationem hanc omnibus numeris absolutam inscripsit mutuam Theologię & Philosophiæ concordiam, ostensam &c. Hanc igitur legendam & describendam dedit familiari, hic rursus alteri, donec ad plures devenit: Quare mentiris Caseli, quando sis eam non fuisse perfectam; mentiris, quando dicas subjectam eam censurę alterius; mentiris, quando dicas surreptam eam alteri mala fide & fraude. Primum enim consentiente Domino & auctore, deinde quolibet possessore, alteri ab altero eadem fuit tradita, donec postea impium & impurum hoc scriptum eo pervenit;

ut pu-

ut publici boni gratiâ, utq; pluribus machinationes vestræ contra Eccliam, & horrendæ molitiones contra innocentes ejusdem ministros, innotescerent, typis descriptum publicè prostaret. Et quia autor ut cum pluribus communicaretur, volebat, hoc jam commodius, quia prelo excusum, fieri potest, quam si describendi copia cupienti cum tadio prosteretis quod factum sane laudandum: neq; enim res commodata in alium finem est conversa. Propterea fraudem in hoc commissam simpliciter non concedimus, multò minus furtum. Quâ occasione magis miramur, hunc juris utriusq; Doctorem aut nescire velle quid sit furtum, aut illud ab alijs factionibus distinguere nolle. Notum enim cuius est, nullum committi furtum sine animo furandi & lucrum faciendo. Voluntas namq; sola maleficia distinguuit. Id verò furtum non disserim, ubi ne quidem animus adfuit, aut minimum lucri sperari potuit. Nihil enim tale attentatum in hoc fuit. Et supra ostensum est, nec invito Domino, nec possessore prodijisse hanc concordiam; quæ omnia in furto concurrant oportet. Quæcum dicimus non in universitate aberramus, ut nodum in scirpo quarentes carpere velimus omnes, qui forte ἐπ πλάκτῳ vocabulo furti fuissent usi, tanquam non liceret. Sed te Caseli Doctorem juris respicimus. In ijs enim præsternim vulgaribus, quæ quisquis noverit, te labi, turpe profecto est.

Fam verò autoritatem tuam tanti non facimus, ut dicamus Ιω-  
αννος Καστοριος ουτος εφα, & iterum novum discamus Axioma: Vbi  
fraus ibi furtum, quanquam uti dictum, ne fraudem quidem ad-  
mittamus.


Nec quicquam ad rem facit, quod fraus furto semper insit. Inde enim non sequitur, furtum fraudi quoq; semper inesse. Ejusmodi tra-  
men rerum imperitus utitur Enunciationibus, unde jam cuivis et jam  
apparet, quam commodè sine iudicio, principijs alijs utantur in ipsis  
rebus Theologicis. Ergo Caseli, ne futor ultra crepidam, imposterum  
abstineas ab ijs, quæ valde absonta sunt & indocta, & si conquereris su-  
per injuria, tibi tuisq; collegis illatâ, noli tamen statim furtum eam  
appellare, nam imprudentia hoc non levis est signum & inconsiderate  
mentis

mentis lapsus. Sed quid multis? Si furtum omnino tuo iudicio factum est, aduersus eum, quem surripuisse clamas, experiri quid poteris competente actionis remedio; quae prima via si tibi forte præclusa est, altera utaris, quae semper aperta stat, ubi indicta causa sit condemnatio; dominante præjudicio, more vestro.

Ad 60. quod attinet questiones & Beza ad eas responsones, nihil refert an jam conceptæ ab eo & scriptæ sint, an vero ante a prolatæ: Nec quicquam protefacit, à vobis tum temporis, cum hec Beza scriberet, hanc litem motam non esse, nee enim portenta hæc nova sunt, licet alia ueste cooperta & iterum in theatrum producta, sed ista est renovata vetus lis, sed etiam aucta recens. Alias quomodo contra vos esse possent D. Lutherus & alij sinceriores Doctores, ante quam quisquam vos natos sciret, piè defuncti.

Denique, callide rursus mentitur Caselius, ajens compilatorem, ut eum nominat, voculam carpere in Oratione de Bono Academie cum lis non sit de vocula, sed quod ille supra modum & dignitatem, qua in reverus abusus consistit, philosophiam usque in cælum laudibus mirificè extollat, ubi, modo verba perpendantur, nihil aliud vult cum Ovени etjam impi scripto (quod insuper autorem, si velit, defendere posse, blasphemè hic statuit) quam animam, seu Principem ejus facultatem rationem, divinæ mentis, ut loquitur radium, cuius cultum philosophi prestet incorruptam post lapsum mansisse. Quæ horre da plane impia & heretica, ut & Ovени maleferiata Concordia cum publicè extent, pluribus hic ea non attingemus, Christianum vero & prius lectorum ea considerare jubemus & judicare, an non Caselius, quando nullam à se questionem Theologicam motam dicit, ne quiter mentiatur. Rogamus etiam eundem ne temere de hac causa judicet, neve Caselio, neganti manifestissimam fidem habeat, quin potius ex his mendacijs totam ipso- cum causam tanquam ex ungue leonē, estimet, & veritatem in timore Domini sedulo inquirat.







CATIO.

*Elethes Cosmici.*

SYCOPHAN-

ASELII ΔΙΑΜΑΡΤΥΡΙΑΝ,

Academia IVLIA edi-  
affixam.

